



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Trvdo Confes. 23. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

642 *Vitæ Sanctorum.* 23. NOV.  
sam jussit, cùm ipse Servator familia-  
rem sibi Agnum induitus dextro pede  
& omnino fontis indicium fecisset. Por-  
rò cum aquâ longè lateque miraculum  
emanavit. Et jam ad trecenta millia-  
ria fana Deorum evertebantur, undis-  
que sanctis quingenti quotidie tinge-  
bantur; cum denique Procos: Aufi-  
dius Pontificem anchoræ illigatum in  
mare præcipitavit. Emicuit tamen in-  
gens animus, & ad portum cæli ena-  
vit. Ad preces deinde Christianorum  
mare cessit ad tria millaria, strucum-  
que in imo à cælitibus martyri tem-  
plum tumulumque è marmore osten-  
dit, iterato quotannis deinceps hoc mi-  
ractilo: quod auxit puer quandoque à  
parentibus per errorem illuc relictus  
annumque totum incolumis servatus.  
Frustra igitur tyrannus mergere laudes  
**CLEMENTIS** mari voluit. Anchoram  
suam Martyr cælo fixit. *Ex Metaphr.*

S. TRVDO CONFES.

23. Novembris.

IN Hafbaniensi agro spinas inter, hoc  
test, divitias patrias educatus floce-  
lus TRVDO suffocari tamen minimè  
potuit. Quin caput supra nubes puer  
tulit, eoque altius quo profundius in  
se descendit. Itaque servulis suis inser-  
vire Dominum TRVDONEM vidil-  
les. quam virtutem ut tegeret, vilissi-  
mos

23. NOV. *Vita Sanctorum.* 643  
mos corpori vestiendo pannos injectit.  
Porro omnia etiam quæ per ludum  
agit, egit seriò. Quare cùm tumultua-  
rio opere & congestis temerè saxis sa-  
cellum extruxisset, futuri operis sui hoc  
typum & votum voluit esse, quod re-  
apse postea in proiectâ ætate persolvit.  
Placuisse & operam & artificem pue-  
rum, cælum ostendit, cùm mulieri im-  
probæ ædificium ludicrum disturbanti  
oculos eripuit, quos tamen, ubi pri-  
mùm facinus animo vidit & agnovit,  
reddidit TRVDO. Egenis tam fave-  
bat, ut suas cum illis vestes communes  
haberet, &c., ut illos indueret, se his  
exueret. Talis Angelo bono adhortan-  
te patriam fugit, & cælesti disciplinâ  
amplius erudiendus concessit ad Tun-  
grensem Episcopum Remachum. Pro-  
fectum cælestes in vitâ radii, à morte  
odor & prodigia alia complura prodi-  
derunt; ex quibus illud memorabile  
imprimis est, quod cognatum, qui  
contra vota cælo facta in thalamum  
sponsam induxit, virgâ castigavit per  
sonnum, claudumque reddidit ad-  
ulterum Amorem patri suo deinceps  
Vulcano in hoc similem. *Ex Surio.*

S. FIR-